



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Sapientia

Pinamonti, Giovanni Pietro
Segneri, Paolo

Coloniae, Anno M.D.CCVI.

VD18 12664146

Propter unicum peccatum exturbantur è Cœlo ad Inferos Angeli;

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50782)

hac vita , merearte amare, tēque frui
æternū in altera, Amen.

CONSIDERATIO IV.

PRO DIE MERCURII.

PUNCTUM I.

Pœna Angelorum.

*Deus Angelis peccantibus non pe-
percit , sed rudentibus inferni de-
tractos in Tartarum tradidit cru-
ciandos, 2. Petri 2.4.*

I. **C**ONsidera primum peccatum in
mundo patratum , ejusque pri-
mum supplicium. Angeli scilicet ante
omnes alias res creatas extracti ex aby-
so nihili sui, in cœlo empyreo collocas-
ti , summo insuper ingenio præditi,
summâq; sapientiâ, nec pulchritudine
inferiore, immortales denique, & Nus-
minis videndi capaces, pro debita con-
ditori suo obedientia ac subjectione,
tertiâ sui parte ab eo deficiunt. Illic

igitur in eos divinæ justitiæ vibrato fulmine, unâ omnes sententiâ fulminati, momento unico in tartarum præcipitantur. Quid? inquires, multitudo tanta par numero arenæ maris? nihil ista, nihil refractariis spiritibus patrocinatur multitudo, ratum fixumque est, omnes unam in gehennam ablegantur? Atqui opera sunt manuum tuarum, æterne Conditor, prima atque perfectissima: Sint enim verò talia opera, nunc autem peccato contaminata, ad rogam & ignem pertinent. Et hoc quidem pro peccato unico celerrimæ cogitationis? imò pro peccato lethali, quod solùm sufficit, ut odio eos habeam & abominer æternùm. Spatium saltèm ipsis, atque orium daretur respiscendi, necdum enim alieno supplicio docti sunt sapere, necdum pœnarum minis territi: & nunquid ex data ipsis delicti venia idem cederet honos nomini tuo? nunquid ipsi clementiæ tuæ erunt ingrati, & non potius allaborabunt, obsequiis infinitis compensare errorem suum? nihil ista movent

æquissimi mentem iudicis: inconcussa stat sententia, peccârunt angeli, omnes igitur, in ictu oculi, ad ima inferni præcipitantur. O! quanta est iudiciorum tuorum æquitas, justissime Deus! est infinita, nec tamen eam timent mortales! primi Regiæ tuæ proceres unius peccati pœnas luunt æternas, dum mancipia interim vilissima non desinunt absque metu peccare.

PUNCTUM II.

Supplicium Protoplastorum.

Quia audisti vocem uxoris tuæ & comedisti... maledicta terra in opere tuo. Genes. 3, 17.

II. **C**ONsidera primum inter homines peccatum, quod fuit Adami, & mala quoque omnia perpende, quæ ex hac Pandoræ pyxide in mundum invec̃ta sunt universum. Collige in unum fascem miseras omnes, quæ vitam nostram circumstant; huc inopiam, ægritudines, ignorantias, inimicitias, famem tempestates, pestem, lites